

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia**

**Masius, Hector Gottfried  
Lintrup, Søren**

**[Hafn.], [1710]**

§I.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

( I )

DE  
CONCILII TRIDENTINI  
AUCTORITATE IN GALLIA.

(1) De auctoritate concilii Tridentini varie loquuntur Theologi in Gallia, neque in hac materia vel cum seipsis vel cum suis principiis conveniunt. (2) Multa esse in Concilio Trid. definita contra veteres canones libertatemque Ecclesie Gallicane, ex ipsis Scriptoribus Gallicis probatur. Viginti duos articulos memorat Thuanus, in quibus animadversa est discrepantia. (3) Dissensus Gallorum in ipso Concilio Tridentino. (4) In quo nunc Ecclesia Gallicana a Concilio Tridentino dissentiat. (5) An capita controversa non sint essentialia seu de fide, ut loquuntur? (6) Ostenditur, discrepantiam esse magni momenti & versari circa materiam, quae statui Ecclesiastico, civili & Oeconomico fundamentum substernit. (7) Quotopere Galli publicae promulgationi Concilii Trid. resisterint; an & quando receptum, & quibus cum restrictionibus, probatur, nunquam Regis & Parlamenti auctoritate publice promulgatum esse. (8) An per hypotheses Cleri Gallicani acta Concilii Tridentini rescindi penitus, & per aliud Concilium universale abrogari debeant. (9) An concilium Tridentinum serio in Gallia audiat uniuersale.

§. I.



Vanta sit Concilii Tridentini in Gallia auctoritas, dictu difficile foret, si quis linguam potius quam mentem & hypotheses Doctorum attenderet. Tam varie enim Theologi ea de re loquuntur, ut & sibi invicem & suis principiis strenue contradicant. Aliter enim Monachi, aliter Jesuitae, aliter rursus Sorbonistae sentiunt. Qui pro partibus Pontificis adhuc in Gallia dimicant,



ut plerique Monachorum ordines, cæca quadam veneratione Concilii decreta prosequuntur, parum solliciti, num id libertati Ecclesiæ Gallicanæ & principiis cleri conveniat, an secus. Si istis creditur hominibus, nullum unquam sanctius Concilium magisque œcumenicum fuit, cujus proinde decreta etiam in conscientia omnes obligant. Sed illi cæco ignorantia zelo abrepti vel hypotheses Ecclesiæ Gallicanæ ignorant, vel saltem in fundamenta rei non inquirunt. Quod si enim universale est Concilium Tridentinum, quid quæso obstitit, quo minus statim in Gallia reciperetur? Si adeo sanctum est, ut quidem uociferantur, cur decreta nonnulla pro vanis & irritis in Gallia habentur? Si in conscientia omnes obligat, cur in decisionibus ejus non acquiescunt? Si tantum ualet, quantum solent Concilia Oecumenica, quidni anathema verentur, tam confidenter illi obloquendo & obsequium debitum detrahendo? Hæc, nisi me omnia fallunt, sic comparata sunt, ut omnino invicem conciliari nequeant. (a)

(a) NOTA. Fateor me hactenus capere non potuisse, quo pacto Galli hypothesein suam *de infallibilitate Conciliorum generalium si abire possint*, cum Tridentinum Concilium, quod universale fuisse plerumque volunt, toties arguant fallibilitatis, quoties ab ejus decretis in doctrina & moribus recedunt, vel iisdem contradicant. Nec video, qui salva esse possit Conciliorum generalium divina auctoritas, si Ecclesiæ particulari impune eam contemnere licet. Alterutrum asserendum est, vel Concilium Tridentinum non esse uniuersale, vel Concilia etiam generalia errare posse, & Tridentinum illud actu errasse. Quicquid eorum elegeriat, in nostrum afferent patrocinium. Eo res rediit in Gallia, ut Ecclesiæ suæ libertatem tueri nequeant, nisi simul Ecclesiæ nostræ causam defendant. Contradicant sane Tridentino conciliabulo, sed & æquo animo nos ferant eidem quoque contradicentes. Non deerit quidem illis exceptio, se nihil desiderare in Tridentino, quod de fide sit, at primum id gratis dicunt, nam ex recensione capitum facile patebit, ad fidem partim spectare, quæ controversa sunt, & deinde, si vel maxime concedas, non esse de fide, sufficit nobis Concilium illud ab ipsis Pontificiis argui fallibilitatis. Errarit tantum



tum in minimis, magnum tamen inde nascitur præjudicium & suspicio, in aliis etiam illud fieri potuisse. Quid nisi recte imposterum colligent Protestantes: Si ipsi Pontificii non verentur anathematis fulmen in Concilio Tridentino vibratum, quid illud curemus Evangelici? Pugnans Galli pro libertate Ecclesiæ suæ, nos pro libertate Evangelica certabimus. Tantam apud ipsos valeat consuetudo, ut a decretis Concilii potius quam ab ea recedere malint; tantum apud nos valet verbi divini auctoritas & Ecclesiæ primitivæ consuetudo, ut mille Conciliis obloqui potius quam illi nuntium remittere velimus. Miror sane Gallos in defendendis Ecclesiæ suæ juribus adeo tenaces, & in Jure Evangelico tuendo adeo segnes. *Cum de subtractione calicis agitur*, quidni hic privilegium ab ipso Christo concessum, imo potius præceptum ejus urgent? Quidni consuetudinem Ecclesiæ primitivæ universalis allegant? Quidni canones Apostolicos canonibus Concilii Tridentini & Constantiensis fortiter opponunt? Scilicet in istis faciles esse possunt, ceteroquin acerrimi eorum vindices, quæ juris consuetudinarii jugulum petunt. Sed vertimus vela. Si Concilium Tridentinum universale fuit, nonne æquum est, omnes ejus ordinationes sive ad fidem sive mores pertineant, valere in Gallia. Nam & in hunc finem congregata erat Synodus, ut in moribus & disciplina Ecclesiastica generalis esset reformatio, cui dum morem Galli non gerunt, quid nisi finem Concilii & auctoritatem eius evertunt? Certe quod Ecclesia universalis in ceremoniis & adiaphoris definit, tantæ auctoritatis esse debebat, ut Ecclesia particularis reclamare non auderet. Non enim hæc libertas sed effrenis censenda foret licentia. Nihilominus tamen tam parva est Tridentini auctoritas, ut suam disciplinam suosque ritus imo & consuetudines sequi malint, quam Ecclesiæ universali sese conformare: quod ipsum quomodo cum universalitate Concilii ejusque divina auctoritate, quam jactant, conciliari possit, ipsi viderint. Mihi quocumque me vertam, illa hinc sequi videntur: Aut Synodum Tridentinam non esse generalem, aut Concilia etiam generalia esse fallibilia, & injustum anathematis fulmen vibrare posse. *Equidem P. Marca in libro de Concordia Sacerdotii & imperii lib. III. cap. 7. Libertates inquit, perinde tuemur, si de Concilio generalis novis decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ nostro usui commodas adeo retinemus, ut, etsi canone Concilii generalis destituamur, quo illæ firmatæ sint, tamen ab iis nobis discedendum esse non censeamus.* In quibus verbis tria notatu digna existimo, (1) Auctorem Ecclesiæ Gallicanæ libertati postponere non tantum



Pontificis, sed & Concilii generalis auctoritatem. (2) Loqui de novis Concilii decretis ac constitutionibus in genere, ita ut etiam, si quod in fide decretum novum fieret in Concilio generali, id ipsum non obligaret Ecclesiam Gallicanam. (3) Hoc ita extendi, ut plus valeant consuetudines canone Concilii generalis destitutæ, quam eiusmodi novi canones & decreta Synodi universalis. Eiusmodi hypotheses si Roma concoquere potest, mitius in posterum de Protestantibus sentiat, nec vitio nobis vertat, quod libertatem Evangelicam & Ecclesiæ primitivæ consuetudinem opponimus novis Concilii decretis. Si Roma rem rite perpendat, minus apud Gallos valet Tridentini auctoritas quam apud Evangelicos. Illi ritus & consuetudines suas præferunt, nos vero tantum Scripturæ auctoritatem obvertimus. Si contra ritus nostros, si adversus consuetudines tantum Ecclesiæ particularis novi quicquam decrevisset, non esset nobis tanta conquerendi causa. Submitteremus nos facile eiusmodi regulis, & vel pacis conservandæ causa jure nostro cederemus. At vero cum de Scripturæ auctoritate & puritate fidei nostræ agatur, patiatur quæso Roma, tantum nobis licere ac Gallis. Nulla humanæ ratio obsequium nostrum remoratur, sed fides, sed conscientia, sed divini verbi canon. Hæc tanti sunt, ut majori jure liceat nobis P. de Marca verba paulum immutata nostra facere: *Libertatem Evangelicam perinde tuemur si de Concilii novis decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & dogmata & consuetudines Ecclesiæ primitivæ adeo retinemus, præsertim cum canone Scripturæ non destituamur, ut ab iis nobis discedendum esse non censeamus.*

§. II.

Huic Labyrintho ne implicentur sagaciores, universalitatem concilii Tridentini vel dubiam vel limitatam relinquunt. Certe plures, qui de auctoritate conciliorum universalium agunt, in eorum numerum, quæ conscientiam obligant, Tridentinum illud conciliabulum referre non audent. Nonnulli etiam de hac materia frigide loquuntur, ut appareat facile; Gallos *non esse addictos jurare in verba Tridenti.* (a)

(a) Qui Hebraice sciunt, Morinum secuti vident decretum illud Concilii Tridentini, quo authentica proponitur vulgata versio. Sunt quidem nonnulli, qui sensum Concilii explicare sat agunt, hoc est mentem Concilio contra ejus mentem affingunt: At Pater Simon Auctor *Historiæ Criticæ in V. Testamentum*, passim prodidit, quid de isto decreto sentien-